

(G)


QK. 216. 5.

COMMONEFACTIO

ECCLÉSIAÆ WI  
TEBERGENSIS AD  
ALIAS, QVÆ ORDINAC  
TIONEM MINISTRORVM

VVITEBERGÆ 2VÆ

RVN T.



VVITEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHANNES  
SCHWERTEL.

ANNO M. D. LXXI.



COMMONEFA-  
CTIO ECCLESIAE  
VVITEBERGENSIS AD  
ALIAS, QVAE ORDINA-  
TIONEM MINISTRORUM Vuiteberga  
querunt.



VE Madmodum omnia Imperia nouissimis his temporibus sunt languidiora & maiores passim in genere humano existunt omnium ordinum confusiones, crescente indies viciosa morum licentia, cum contemtu legum ac Magistratus: Ita videmus nec sine dolore experimur, id ipsum quoq; in Ecclesijs & Scholis magno conatu, & irrequieto studio agere & moliri Satanam, vt vasta & infesta pijs reddat omnia, dum non contentus externa hostium Tyrannide & persecutione, qua velut admoto ariete, ad expugnandam & euertendam veritatem, foris vtitur, intestina insuper dissidia & omnis generis scandala cum doctorum, tum auditorum excitat, quibus tanquam domesticis cuniculis suffoditur & couellitur disciplina Ecclesiastica, ac horribiliter deformatur Euangelij ministerium non sine priuoris doctrinæ & plurimarum animarum periculo.

A 2

N

Ne enim singillatim nunc persequamur omnia omnium  
ordinum vicia, ut suo quisq; loco certatim omnes & sin-  
guli peccatis quotidianis augeamus & cumulemus  
iram & pœnas diuinæ: Negari sanè non potest, sed  
fateri necesse est, & deplorant id ex animo piæ men-  
tes, securitatem istam mundi & profanum verbi con-  
tentum, ad quem per se proclivis & prona fertur hæc  
delira & cæca senescentis ætas mundi, multis insu-  
per in locis etiam confirmari, & tantum non prouoca-  
ri ignauia, inscitia, leuitate & turpitudine eorum, qui,  
cum ex officio in Ecclesia alios ad studium pietatis &  
morum honestatem informare & adducere deberent  
docendo, arguendo, exhortando, & proprijs virtu-  
tum exemplis, ipsi vel doctrinam nondum rectè didice-  
rint nec intelligant, atq; ideo frigidius eam curent &  
tractent, vel etiamsi rectè doceant, tamen expertes ti-  
moris Dei omnisq; pietatis, vitam agant indignam ho-  
mine, nedum Christiano aut Christi ministro, ac si  
quid doctrina ædificarint in domo Domini, morum  
id turpitudine omne iterum destruant ac euertant, ut  
sanè profanitatis istius horrendæ, quæ supra modum  
quotidie inualescit, de qua tot piorum gemitus & que-  
relæ passim audiuntur, caussa præter alias, hæc quoq;  
non sit postrema, quod multis in locis ministerio Eccle-  
siastico non præficiuntur personæ satis aptæ & geren-  
do tanto muneri idoneæ.

Quæ

Quæ sanè culpa magna ex parte sœpe oritur ab illis, qui, cum ex officio vel iure patronatus potestatam vocandi & confirmandi ministros habeant, quæ ad solius Dei gloriam, & Ecclesiæ ædificationem conferenda erat, ea ad propria emolumenta, ad affectus priuatos, & ad vitæ liberioris securitatē, indignè abusantur, expertentes nimirum tales ministros, de quorum ruditate vel leuitate silentium & impunitatē sceleribus suis polliceri possint. Quod etsi potissimum reprehendunt, & magno suo malo tandem experiuntur infelices auditores, quorum saluti male adeo hac ratione cōsulitur: Tamen verè ita fieri reprehendunt præ alijs maximè etiam illi, quibus eiusmodi personæ, antequam ad ministerium confirmantur, examinandæ, & ritu Apostolico cum impositione manuum sacris initiandæ commendantur.

Equidem eius rei & nos aliquot hactenus vidi-  
mus exempla, in ijs, qui ad petendam ab Ecclesiæ nostra ordinationem peregrè hic aduenire solent, quo-  
rum multi ita rudes, & doctrinæ, quam se tradituros  
alijs profitentur, sunt ignari, vt mirum sit tantam in  
homines cadere impudentiam & temeritatem posse, vt  
adoriri rem tantam, & ad tam arduum munus offerre  
operam suam ausint, cum nihil unquam studij in co-  
gnoscenda doctrina cœlesti posuerint, nec prima qui-  
dem & puerilia rudimenta Catechismi didicerint, sed  
ex mera desperatione, siquidem absumto iam patrimo-

nō non habeant, quo se suosq; alant & sustentent, tandem ad ministerium, non aliter quam ad ordines suos desperati olim Monachi, animum applicent. Nonnulli etiam, ut ex fide dignorum relatione cognoscimus, uon dubitant, modo sperata conditione potiantur, de ordinarijs templorum redditibus & salario annuo aliquid remittere, quin & à Domino feudi, penes quē est officij collatio, additis insuper muneribus, precio precibusq; Parochiam redimere & emendicare, ita ut hac ratione s̄epe homines illiterati recipiantur & in electione præferantur alijs eruditis et ad docēdum idoneis, vel priuati commodi causa, vel s̄epe securitatis & impunitatis, quam eleuata & contemta ministrorum autoritate facile deinceps auditores acquirunt.

Hi & similes ministerij abusus, cum nobis officij nostri rationem & cōmune Ecclesiæ periculum pendentibus hactenus necessitatē imposuerint, non paucos, qui longum & difficile huc iter fecerant, auditos in examine, ab ordinatione remouendi, & tales remittēdi ad suos quales accesserant, quod salua conscientia, gloria Dei, autoritate ministerij & salute animarum admittere eos ad tantum manus nec possemus nec deberemus: Iustis & grauibus moti rationibus publicè proponere breuem hanc commonefactionem voluimus Ecclesijs, quæ initiationem & confirmationem ministrorum suorum à nobis hactenus quæsiuerunt & in posterum querere volent, cùm ad declaranda studia & debitam animorum promptitudinem omnibus pijs, ubi-

cung

cunq; illi terrarum degant, qui eadem nobis confessione coniuncti ordinem in Ecclesia amant, & suæ suorumq; saluti rectè consultum volunt, tum ad auerten- das ulteriores confusiones, scandalata et infinita incōmoda ac pericula, quæ in hoc genere imposterum quoq; longè metuenda erant grauiora & totis cætibus, & singulis eorum membris, non auditoribus solum, sed & ministris, qui alioqui cum sumtuū dispendio pro benedictione reportant ignominiam: ne quis ignorantiam eorum, quæ constituta & rata in ordinatione nostra obseruari imposterum volumus, iure prætendere possit. Proinde hortamur, & rogamus omnes Ecclesias, imprimis verò magistratus, cuiuscunq; illi sint loci aut ordinis, qui habent ius vocandi ministros, quos testimonium ordinationis nostræ petere volunt, ut attenta & accurata circumspetione in constituendo ministerio tantur, idq; cōmendent pijs, honestis et doctis viris, qui vel in Academijs vel alijs Academiarum iudicio rectè constitutis Scholis operam dederunt literis, & iam antea docuerunt alios & eruditionis ac Vitæ ante gestæ honorificū habent, quod proponant, testimonium, contrà probè sibi & Ecclesijs suis caueant, ne rudes, indolētos, temerarios ac impudentes accersant fucos, qui præter viētum, ocium & emolumenta sua nihil aliud in ministerio quærunt, nec legitimè vocati malis artibus clam obrepere templis studēt: Aut si omnino haberit delectus & optio nō potest in ijs locis, qui longius ab Acadē

cademijs absunt, vt eos, qui ministerium ambiunt, prius inspectori aut pastori loci illius domi examinados sistant, et si ita opus sit, aliquandiu in Catechesi & fundamento religionis erudiendos ac informados tradant, ne ruditate sua necessitatem nobis impellant ipsos ex officio ab ordinatione excludendi, sed admissi meliore conscientia, & spe felicioris successus vocationem legitimè aggrediantur.

Etsi enim ea apud nos est constitutio, vt publico examini præmittatur priuata exploratio & institutio eorum, qui nondum rectè sunt instituti, tamē quantum illud sit, quod profici hac institutione possit, apud eos, qui non attulerint secum mediocria doctrinæ principia, nemo non videt. Quicunq; itaq; ordinationem nostram est suscepturus, ab eo ante omnia requirimus liquidum testimonium confirmatum Sigillo Ecclesiæ aut magistratus loci illius, cui iam cōdixit operam, quo certam & legitimam nobis vocationem demonstrare ac testatā facere possit. Huic simul adiungi volumus literas Pastoris, aut Præceptoris sui, aut alterius viri docti, qui etiam de profectu & moribus Ordinādi, in quo vitæ genere versatus antea fuerit, qualē ab ineunte ætate sese gesserit, verum perhibere nobis testimonium possit. Alioqui cur sine certa & quidem præsenti vocatione, ad nudam spem & factam promissionem futuræ vocationis, qualem nonnulli prætendunt, aut ad quascunq; commendationes unius atq; alterius priuati

privati, & quidem ignoti hominis, nemini imponere manus possimus aut velimus, multæ sanè graues sunt causæ, quæ & abusum & quandoq; dolos in hoc generare nos metuere ac declinare iubent. Nihil verò quæri in hac re aut intendi à nobis aliud nisi gloriam Dei, propagationem veræ & incorruptæ religionis, ac conservationem honestæ disciplinæ, ad auertenda omnis generis scandala & pericula Ecclesiæ, omnes pij intelligent, cum multæ, & hæ quidem graues causæ, tam nos, quibus commissa est Ordinatio, quam Ecclesiæ, & quidem ministros, qui eam expetunt, ad accuratam & strictam Constitutionis huius observationem adigant & impellant.

Seuerum certè mandatum est illud Pauli in I. Epistola ad Timoth. cap. 5. cùm ait: Manum citò ne cui imposueris, neq; communicaueris alienis peccatis, Vnde apparet, ne illis quidem temporibus in primitiua Ecclesia facile quoscunq; ad ministerium admissos, quorum & integritas in doctrina, & Vitæ inculpatae innocentia non prius exploratè cognita ac perspecta fuerit. Estq; magni momenti ratio, quam mandato Dei addit Paulus, Neq; communicaueris alienis peccatis, qua ostendit, omnia incommoda, scandala et pericula, quæ ex commissione aut omissione eiusmodi ministrorum in Ecclesiam Christi redundant, bona ex parte imputari etiam illis, qui sine necessaria & sufficienti exploratione talibus ministerium aperuerint. Omnia

B ope

operum, quæ in terra præstari ab homine possunt, sum-  
mū et difficilimum est docendi in Ecclesia munus, quòd  
filius Dei ab initio locutus cum Patribus, atq; inde  
quoq; dictus λόγος, non solum ante incarnationem  
administrauit, sanctificauit, & voce Prophetarum  
subinde in populo suo redintegravit, sed deinceps quoq;  
in carne reuelata voluntate æterni Patris ipse gessit,  
idemq; Apostolis & eorum discipulis ac posteris com-  
misit, iussis in suo nomine prædicare pænitentiam &  
remissionem peccatorum, atq; ita voce Euangeliū in-  
corrupta, & legitimo vſu Sacramentorum colligere  
Deo ex genere humano dilectam Ecclesiam, à qua re-  
tè agnoscatur, & in omni æternitate celebretur. Hoc  
solo vſus medio filius Dei regnat inter suos hostes, de-  
ſtruens opera Diaboli, mundi & carnis, arguendo,  
consolando, exhortando, dans Spiritum S. quo efficax  
eſt in cordibus credentium, & multos regenerat ad vi-  
tam æternam. Quin hanc ipsam ob causam conseruat  
Deus Politias & Oeconomias, donans pacem, quietum  
& alia vitæ necessaria, vt sanctificato nomine ipsius,  
incorrupta Euangeliū prædicatione, & honestis disci-  
plinæ ac virtutum officijs aliqua ipsi grata in societate  
generis humani fiant. Quippe quòd adhuc durat &  
consistit hic rerum in natura ordo, nec propter homi-  
num scelera dudum redacta in nihilum sunt omnia, soli  
ministerio acceptum referamus necesse eſt, quo adhuc  
quotidie auctiorem reddere, & longius extendere ſu-

am

am in genere humano vult Ecclesiam Deus", vocans  
ad conuersionem impios, ac spacium pœnitentiae conce-  
dens omnibus, ne quicquam, quod iustæ suæ damnatio-  
ni prætendant, contemtores verbi habeant. Verè itaq;  
sunt Doctores in Ecclesia diuinitus constituti custo-  
des, Oeconomi & Dispensatores mysteriorum & sum-  
morum beneficiorum Dei, qualia sunt Verbum, Absolu-  
tio, & Sacramenta, quibus medijs confertur & ap-  
plicatur peccatori vera Dei agnitione, remissio peccato-  
rum, iusticia & vita æterna. Commendat itaq; mini-  
stro verbi Deus thesaurum, quem in terris habet sum-  
mum & maximum, nempe hæreditatem dilecti filij,  
quā precioso sanguine suo ille redemptā sibi acquisiuit.  
Vtinam omnes, qui in hoc constituti sunt Vitæ genere,  
animo secum expenderent, quid & quantum illud sit,  
quòd vni ministro tanquam pastori totius gregis tot  
hominum animæ traduntur, & tanquam preciosum  
depositum annumeratæ committuntur, vt eas pascat  
salutari verbo Dei, oret pro ijs, ac diligenter caueat,  
ne vel vnam ex ijs, sua ignavia, incuria, malo exem-  
plo, aut quacunq; culpa alia neglexisse, aut temerè  
prostituisse, iure dici aut videri possit, siquidem in no-  
uiissimo die ab ipsius manibus reposcere Deus singulas,  
et rationem administrati muneris requirere velit, quā  
quisq; gloriæ Dei & salutis Ecclesiæ curam gesserit.  
Ezechielis 3. Proinde ad legitimam muneris tanti  
procurationem, omnes, qui cum fructu accessuri ali-

B 2 quando

quando sunt ad ministerium, omnem operam, studium  
ac diligentiam à primis annis buc conferant necesse  
est, vt summam doctrinæ Christianæ crebra lectione et  
pia meditatione verbi rectè percipient, eamq; in cogi-  
tatione & sensu publicarum & priuatarum calamita-  
tum, in quotidiana inuocatione, in exercitijs pœnitentia-  
t.i.e., omnibusq; studijs & laboribus totius vocationis  
& vitæ, ad usum transferre discant, atq; ita non so-  
lum doctrina, sed & viuis virtutum exemplis auditio-  
ribus suis ad assequendum summum hominis finem,  
nempe gloriam Dei, & suam ipsorum salutem prælu-  
cere studeant. Quod si unquam difficilis & periculosa  
fuit ministerij conditio, si pietate, eruditione, pruden-  
tia & accurato studio ministris opus: iam verò his  
postremis mundi temporibus munus Ecclesiasticum  
maioribus difficultatibus & periculis est obnoxium,  
& maiorem curam & circumspectionem requirit, si  
mediocriter saltem illud constitutum et administratum  
velimus, siquidem Diabolus non aperta tantum vi &  
persecutione ad opprimendam & delendam doctrinæ  
lucem apud externos hostes utatur, sed in ipso etiam  
corpore Ecclesiæ nouos subinde errores, dissidia &  
scandala, quin & tetras ac horrendas blasphemias  
contra personam & beneficia filij Dei velut ab Orco  
reuocatas specioso praetextu Veritatis venditet, &  
prophanis mentibus insinuet: in genere verò contem-  
tus verbi & ministrorum, securitas, contumacia &  
atroc-

atrocissima peccata & scelerata apud omnes omnium ordinum status inualescant & in immensum augeantur indies. Hic verò ministri se custodes & pastores toti præfectorum gregi meninerint, ut & se et suos auditores probè contra errores & corruptelas præmuniāt, & perspicuam & simplicem explicatæ doctrinæ veritatem firmo assensu constanter amplectantur & tueantur, publica scandala & flagitia enormia iusta seueritate, & ardentis studio, quantum in hac disciplinæ laxatione obtineri potest, reprimant, instantes opportunitate & importunè arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia & doctrina, seq̄ ipsos exemplum pietatis & bonorum operum gregi suo statuant, in doctrina, & moribus irreprehensibiles, assidui & ardentis in invocatione, ad auertendam seu mitigandam iustissimam Dei iram, & impendentes cum publicas tum priuatas Ecclesiæ calamitates. Hæc fieri non possunt ab impijs, illiteratis, leuibus & temerarijs hominibus, qui nulli vñquam doctrinæ vacarunt, qui sola compulsi inedia & rerum omnium desperatione ministri potius quam quidvis aliud esse aut dici malunt, tantum ocij, ignauiae & voluptatum, quibus assueti omnem prius insumerunt substantiam, asylum & receptum querentes in ministerio: sed sicut illotis primum manibus & pedibus, nec munericanti dignitatem & difficultatem, nec virium suarum imbecillitatem præmeditati, irruerunt in domum Domini: ita deinceps

B 3 quoq

quog<sup>o</sup> omni destituuntur benedictione huiusmodi merce-  
narij, quorum occasione tantum ianua aperitur lupo  
ad inuadendum ouile Christi, qui agitati quois vento  
doctrinæ religionem cum fortuna mutant, parati in  
suo theatro aliorum exemplo recipere, repudiare &  
damnare quiduis, aut alioqui certè flagitiosam et infa-  
mem vitā degunt ebriosi, vinolenti, auari, percussores,  
impuri, litigiosi, adulteri, lusores, laxantes frena o-  
mnibus cupiditatibus, quibus doctrinam cœlestem im-  
piè nefarieq<sup>z</sup> deformant et in contemptum vulgi addu-  
cunt. Quod ipsum & aduersarijs occasionem & ma-  
teriam præbet atrocioribus conuicijs infectandi veram  
religionem, &, dum vicia personarum ipsi imputant  
doctrinæ, plausibili specie multorum animos à confes-  
sione nostrarum Ecclesiarum auertendi. Nec dici po-  
test, quantum malorum ex huiusmodi principijs malè  
cœpti ministerij in Ecclesia existat. Singuli itaque  
priusquam Ecclesiæ operam suam offerant aut condi-  
cant, & ordinationis testimonium petant, rationem  
ante omnia coram Deo propriæ habeant conscientiæ,  
& accuratè semetipos probent & explorent, num se-  
riò etiam & ex animo præstare cogitent promissiones,  
quas non stipulata tantum manu loco iuramenti in ex-  
amine, sed & vsu Sacramenti corporis & sanguinis  
Christi ante aram confirmant, quòd nempe fidem illam,  
quam Paulus in ministro requirit, sanctè inuolateq<sup>z</sup>  
præstare velint, videlicet assiduitatem in audienda, le-  
genda

genda, meditanda, cognoscenda, & ad usum transfe-  
renda doctrina cœlesti continuare, eruditionem augere  
quotidie, opera ministerij prompto & alacri animo cum  
debita sedulitate expedire, ea tantum agere, quæ sint  
necessaria, mandata & propria vocationis, constan-  
ter in professione et cōfessione agnitæ veritatis perse-  
uerare usq; ad finem, seposita omnis spe lucri aut peri-  
culi metu, nemini præbere materiam scandali, deniq;  
omnia consilia, cogitationes & actiones instituere &  
dirigere ad honorem Dei, ad ædificationem Ecclesiæ,  
suamq; ipsius & auditorum salutem. Quod nisi quis  
mediocria initia agnitionis Dei & voluntatis eius in  
verbo reuelatæ secum buc afferat, cum serio & con-  
stanti proposito præstandi tam sanctam et religiosam  
stipulationem, is risu & ludibrio Deum ipsum eiusq;  
verbum afficit in suam & multorum perniciem in hac  
& in æterna vita. Pari ratione et Magistratui hæc  
potissimum cura incumbit, ut attendat, quibus curam  
animarum credat, ne priuati affectus et commoda  
præferantur publicæ utilitati Ecclesiæ, ne habita ra-  
tione unius tota negligatur cōmunio, cuius culpam de-  
inceps luere cogatur posteritas. Verè enim hoc est ca-  
put rei & præcipuus scopus, ad quem ex mandato  
Dei contendere, et summa ope eniti Magistratus pius  
debet, modò benedictione Dei et prosperis successibus  
in reliquo gubernationis curriculo uti et frui salutari-  
ter velit. Nos equidem ratione officij et conscientiæ  
nostræ

nostræ, ac mandati Paulini, nec volumus nec debemus alienorum nos peccatorum facere participes, aut literis nostris, quibus confirmatur ordinatio, falsum perhibere testimonium de quoquam, qui non mediocriter præstaturus videatur, quæ in ministro requiruntur: tantum abest ut aliorum securitatem & negligenter in discendo, quam indies apud iuuentutem maiorem fieri videmus, eiusmodi exemplis confirmatur simus aut aduersarijs nostris, alijsq; verbi diuini contemtoribus insectandi & contemnendi ministerij præbituri materiam. Quia verò multi apud nos ad excusandam ruditatem suam hoc prætextu uti solent: fieri non posse, ut omnes, maximè qui in pagis simpli ci plebeculæ sint præfuturi, in Academia versati sint, et artium ac linguae latinæ cognitione instructi: concedimus id sanè, nec ita sumus rigidi aut seueri censure, ut pro circumstantiarum loci, temporis et personarum conditione non aliquando debita et probabili moderatione uti possimus erga illos, qui honestam voluntatem & bonum propositum secum afferant, studio et diligentia compensandi imposterum, quæ ipsis initio desint: at nihilominus in singulis ad minimum requirimus Catechismum Reuerendi Domini D. M. Lutheri, et fundamentum religionis orthodoxæ, quam profiteri et proponere volunt alijs, cuius Epitome quoq; in Examine ordinandorum Domini Præceptoris Philippi pro captu incipentium vera ac perspicua methodo

Methodo comprehensa traditur. Cumq; ex multorū re-  
spōnsis deprehendamus, quōd definitiones quidem la-  
tina vel vernacula lingua exactē memoriæ mandatas  
recitare possint (quod per se probatur omnino, quōd ne-  
cessariū sit et utile illico assūscere vītatis ac receptis  
phrasibus & linguæ matris Ecclesiæ) sed interrogati  
amplius de rebus ipsis ad vīteriora quæsita nihil omni-  
no respondere possint, quo produnt tantū nuda se-  
tenere verba sine omni sensu & intellectu rerum:  
seriō hortamur singulos, vt verbis, quæ memoriæ man-  
dant, diligenter animum intendant, & sensum eorum  
studiosè secum perpēdant, seq; assuefaciant eandem sen-  
tentiam alijs etiam verbis depromere & explicare, vt  
aliquo modo fieri iudicium possit de rebus intellectis,  
quōd non verba in labijs nata more Psittaci, sed men-  
te etiam tincta proferant. Quām vīrō hoc difficile sit  
ijs, qui non didicerunt in Academijs explicationem  
articulorum fidei, aut prima certē rudimenta &  
præcipua capita doctrinæ in alijs scholis rectē  
constitutis aliquo modo perceperunt, ipsa docet experi-  
entia. Proinde simul rogamus & hortamur propter  
gloriam Dei, communem Ecclesiæ, & priuatam sin-  
gulorum salutem, imò propter miseram posteritatem  
primum in genere omnes Magistratus, vt institutio-  
nem teneræ etatis sedulō sibi commendatam habeant,  
dentque operam, vt passim in oppidis non tantū  
Scholæ conseruentur & legitimè constituantur, &

C ma\*

turè ijs liberi à parentibus adhibeantur, sed vt Pastorū etiam & gubernatorum in Politia debita ac seuerā accedat inspectio, constitutis ordinarijs examinibus alijsque medijs, vt quantum quoque tempore à docentibus & discentibus proficiatur, certò constet. Quæ commonefactio de constituendis & obseruandis scholis cùm in Vniuersum omnibus, tūm verò maximè ijs regionibus necessaria & profutura est, quæ longius ab Academijs absunt, nec Germanicam linguam in usu habent. Cùm enim multi ex illis locis ad petendam ordinationem huc mittantur, qui nec in publicis nec in triuialibus scholis Latinam linguam didicerint, nec Germanicè respondere possint, plurimum sanè in talium exploratione desideramus. Etiamsi enim iussi respondere, ad linguam vernaculam configuant, eaq; ad confessionem intellectæ religionis sese referant, nosque per interpres saepe rei periculum faciamus: tamen reipsa comperimus, tantundem ipsis in patria lingua deesse facultatis explicandi veras sententias, quantum vel in nostra vel Latina, Atq; ita multos magis propter cognitionem patriæ linguae, q; propter doctrinam ad ministerium vocari, alijsq; doctoribus in illis locis præferri. Quod non sine insigni & notabili Ecclesiæ detrimento & senioris doctrinæ periculo fieri necesse est, præsertim si Sectarij aut falsi Doctores eiusmodi Ecclesijs in vicinia immineant, vt istis sanè Pastoribus facile obrepere in miserum ouile & irreparabile

rabile dare damnum desertis & incustoditis Christi  
ouiculis lupus possit. Quandoquidem itaq; regionibus  
istis nihil in ministerio prodesse possunt exteri homi-  
nes, etiam si mitti illuc viri docti interdum ex Academ-  
ijs possent, si quidem usum linguae peregrinæ non ha-  
bent: summa profecto & extrema eos necessitas mo-  
net, adigit, et compellit, modò veram Dei & salutis co-  
gnitionem apud se suosq; posteros conseruatam & pro-  
pagatam velint, ut vel plures gentis suæ alumnos in  
Academias ablegent, quos, cum opus est, ad usum Ec-  
clesiæ domum reuocent, aut in eam tandem curam in-  
cumbant, ut scholas habeant apud se benè constitutas,  
in quibus à primis annis iuuentus principia pietatis, ar-  
tium et linguarum discat & percipiat, ac si qui omnino  
sumtibus impediti continuare ea in Academij neque-  
ant, fundamenta saltem doctrinæ è Schola secum re-  
portent adolescentes, quibus adiuti principijs deinceps  
vel sine ductore progredi in scrutanda scriptura, et ra-  
tionem fidei suæ reddere possint, consulturi hac ratione  
& suis conscientijs & auditorum saluti, quam pericli-  
tari multis modis & in æternum adduci discrimen ne-  
cessere est, cum tantæ res tam negligenter aguntur. Ex  
scholis certè primum fieri initium oportet, si quid gra-  
tum Deo & salutare hominibus fieri in Ecclesia de-  
bet, pueros discere oportet, quæ deinceps alios docturi  
sunt adulti. Ac profecto prima ac principalis, quæ hanc  
nobis iustum querelam & commonefactionem extorfe-

C 2 runt,

runt, & multa alia secum incommoda trahunt, causa  
inde existit, quod recta & necessaria iuuentutis insti-  
tutio passim nunc in scholis negligitur, nec ea cura,  
studio, vigore & alacritate, qua debebat, a magistra-  
tibus, parentibus & praeceptoribus amplius urgetur.  
Proinde Magistratus in illis locis, ubi nondum bene  
sunt constitutæ scholæ, primam hanc, quam modò di-  
ximus, curam scholarum curæ & cordi sibi esse si-  
nant, ad auertenda infinita incommoda, quæ earundem  
parit contemptus & neglecta constitutio. Idq; persua-  
sissimum sibi esse sinat, sumtus, quicunq; hoc fine impen-  
dantur scholis & Ecclesiæ, non tantum non perisse,  
sed ingens compendium & subleuationem aliarum im-  
peniarum esse, & cedere ad communem totius Reipu-  
blicæ frugem & emolumentum: contrà verò debita  
scholis & Ecclesijs negata subsidia aut ad alios pro-  
fanos usus translata, cum semel ad sacros destinata fue-  
rint, verè pennas esse aquilinas, tacita arrodentes et ab-  
sumentes carie et æragine quasi, alia Reipub. bona. Ad  
quam rem Superintendentes etiam et Pastores, qui hæc  
impedimenta ministerij agnoscunt, & cum gemitu  
aspiciunt, nec sine magno grauamine ferre coguntur,  
sæpe etiam in literis, quibus commendant Ordinandos,  
eadem ipsi deplorant, tristia ominantes de futuro Ec-  
clesiæ apud posteros statu, nisi mature auertatur in-  
gruens barbaries, sedulò pro concione Magistratus su-  
os hortabuntur, eisq; consilio & opera in tam pio ac  
necessa

necessario confiendo opere præstò erunt, & interpo-  
sita apud docentes & discentes in scholis autoritate  
& inspectione sua primi remedium ingrauescenti malo  
afferre studebunt, præstaturi cultum Deo gratissimum  
profuturum Ecclesiæ & toti posteritati. Nos nostro  
loco omnibus, quicunq; in petenda ordinatione conditi-  
ones huius nostræ Constitutionis præstabunt, allaturi  
secum cum vocationis legitimæ testimonio certo medio-  
crem rerum necessariarū cognitionem, studia nostra &  
officia promta ac parata deferimus. Quòd si quis sine  
fide digno vocationis & vitæ testimonio, aut doctri-  
na necessaria accesserit, & frustrato labore & sumtu  
lōginquæ peregrinationis, re infecta, verè inordinatus  
re et titulo, qualis accessit, à nobis remittetur, nō nobis,  
sed propriæ id temeritati, quam meritò luit, imputet &  
asscribat. Proinde omnes, qui vel vocaturi ad mini-  
sterium sunt alios, vel condicere operam Ecclesijs vo-  
lunt, denuò quanta possumus maxima solicitudine, fi-  
de & diligentia oramus, hortamur, obsecramus & ob-  
testamur, vt probè pensitatis secum animo rationibus  
suprà dictis, quanta videlicet sit ministerij dignitas,  
necessitas & difficultas, quantum intersit gloriæ no-  
minis diuini Ecclesiæ constitutio, quām in ea versetur  
communis Reipub. & priuata singulorum, hoc præser-  
tim tristi & periculoso tempore, salus, quām omnium  
aliarum calamitatum in genere humano principium  
sit ministerij contemtus & calamitas, suo quisq; loco

C 3 salu-

salutarem Ecclesiæ ædificationem promouere pro vi-  
rili studeat, Magistratus in vocandis ministris verbi  
aliquem adhibeat delectum, ministri vero antequam  
vocationem sequantur aut ipsi ambiant, in sece descen-  
dant, & ingenij vires explorent, ne cæco & temera-  
rio impetu rem tantam adoriantur, sed cum vera pie-  
tate, humilitate, & fidelitate, quam requirit Paulus,  
ad petendam ordinationem accedant. Ac certò sta-  
tuant, quale quisq; facturus sit ministerij principium,  
talem deinde habiturum totius vocationis successum  
& euentum. Oramus autem toto pectore æternum  
Dei filium Dominum nostrum Iesum Christum pri-  
mum autorem ministerij ac supremum Doctorem &  
Pastorem animarum, ut sibi in his regionibus voce  
Euangelij perpetuam colligat & conseruet Ecclesiam,  
ac animos docentium & discentium suo sancto Spiri-  
tu ita doceat, regat & gubernet, ut doctrinæ & vitæ  
integritate à nobis nomen ipsius sanctificetur,  
Diaboli regnum destruatur, & æternæ  
animarum saluti consulatur.

Amen.

Δόξα τῷ Θεῷ.



Bibliothek der Universität Halle  
Vg. 1645 a 6A

XUO 6006





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



216. 4.  
COMMONEFACTIO  
ECCLESIAÆ WI  
TEBERGENSIS AD  
ALIAS, QVÆ ORDINAC  
TIONEM MINISTRORVM  
VVITEBERGÆ QVÆ  
RVNTR.



VVITEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHANNES  
SCHVVERTEL.  
ANNO M. D. LXXXI.

